

retur: cū & Anatolius morem gessit. Videtur Litera Anatolii, quas in Collectione sua Romana edidit Holtensius pag. 134. & S. Leo ep. 71.

8. Amplissima primis V. Sæculi Archidiaconorum erat Jurisdicção tam in Oriente, quam in Occidente.

Quod enim in Oriente Generales Episcoporum essent Vicarii, & negotiorum Ecclesiasticorum gestores, S. Leo in N. precedenti allata cum Anatolio Controversia aperte prodidit, inquit: *Quem Andream* (qui in locum Aetii ab Anatolio intrusus fuerat) *quia nunc Ecclesiasticis negotiis prapofuit, propter hereticam perseverantiam eidem favorem suum præstare convincitur.*

Idem testimonium Leonis applicari potest Latine quoque Ecclesiæ, cum & ibi Archidiaconi Episcoporum Generales essent Vicarii, quemadmodum Patrum Occidentalium monumenta, & Archidiaconorum munia specifica, mox referenda, prodent. Illis enim prioribus V. Sæculis imprimis incumbat cum Archipresbyteris vice Episcopi ex ordinatione Apostolica per Canonem 17. Concilii Carth. IV. a. 398. confirmata, curam viduarum, pupillorum, & peregrinorum habere. *Secundo*, ex eodem Concilio, & aliorum Patrum testimoniis ad ipsos pertinebat cura instruendi minores Clericos, præsertim in iis, quæ restam suorum Ordinum executionem concernerent. *Tertio*, ex ejusdem Concilii Canone V. VI. IX. Jus porrigendi Subdiacono in ejus Ordinatione Urceolum cum aqua, & Mantile, & Manutergium. Acolythis vero Ceroferrarium cum cereo, item Urceolum vacuum. Denique in Ordinatione Ostiarum suggerendi Episcopo, ut eidem tradat Claves Ecclesiæ. *Quarto*, Jus in vitam & mores Ordinandorum, & teste Hieronymo ep. ad Evagrium, etiam Presbyterorum inquirendi. *Quinto*, in Conciliis Ecumenicis suorum Episcoporum absentium vices agere: cuius rei illustre exemplum habemus in Concilio Ge-

nerali Chalcedonensi, cui potiori ex parte interfuerunt Archidiaconi suorum Episcoporum Locumtenentes, & inter illos laudatus Aetius Archidiaconus Constantinopolitanus, Concilii hujus celebratissimi quodammodo Promotor, ut patet ex ejus Actis. Denique, teste S. Leone ep. 57. ad Anatolium, Archidiaconorum erat jurisdictionem Episcopi in Causis Ecclesiasticis administrare; atque res, redditusque temporales Ecclesiæ subinde administrare, quod alias pertinebat ad Æconomum. Et hæc quantum ad priora V. Sæcula, ex variis Scriptoribus; nam Sæculo VI. S. Ilidorus Hispalensis ex professo, & diserte Archidiaconorum officia describit in ep. ad Ludifedum, & refertur apud Gratianum dist. 25. c. 1. sub his verbis: *Archidiaconum imperat Subdiaconis & Levitis, ad quem ista ministeria pertinent, ordinatio vestimenti Altaris à Levitis, cura incensæ, & Sacrificii necessaria sollicitudo: quis Levitarum Epistolam & Evangelium legat: quis preces dicat, seu responsoria in Dominicis diebus aut Solemnitatibus decantet. Sollicitudo quoque Parochiarum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam: pro reparandis Diacesanis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti: ipse inquirat Parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta, vel res Basilicarum Parochiarum: gesta libertatum Ecclesiasticarum Episcopo idem refert: collectam pecuniam de communionis ipse accipit, & Episcopo desert, & Clericis proprias partes idem distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus Diaconorum: ipse denuntiat Sacerdoti in Sacratio juniorum dies, atque Solemnitatum, & ab ipso publice in Ecclesia prædicatur; quando vero Archidiaconus absens est, vicem ejus Diaconus sequens adimplet.*

9. Amplissima hæc Archidiaconorum Jurisdicção, qua modernis Vicariis Generalibus non solum æquiparabantur, sed etiam eminebant, facta tecta permanit adhuc Sæculo XIII.

Id evincunt quinque Libri Decretalium à Gregorio IX. hoc Sæculo editi; his enim sub præsentis Titulo cap. VII. inserta sunt ea, quæ de Archidiaconorum Officiis Sæculo VI. scriptis Ilidorus mox relatus, & Archidiaconus insuper secundum Romani Ordinis institutionem Major post Episcopum appellatur.

10. Hæc Archidiaconorum amplissima Jurisdicção initio delegata, successiva temporis facta est ordinaria: hoc est, ipsi Dignitati Archidiaconali annexa.

Cum enim Episcopi vices suas Archidiaconis generaliter, & fere semper committere solerent, & illi auctoritatem suam ipsis absentibus vi suæ generalis, & solitæ commissionis per se exercerent; paulatim ea agere jure proprio cæperunt, quæ prius dumtaxat jure delegato, seu vicario agebant: & ita Archidiaconatus in Beneficium & Dignitatem mutatus est; & ipsi Archidiaconi Prælati Ordinarii annuerati. Unde emerit discrimen inter illos, & modernos Vicarios Generales, quod illi dicantur Vicarii Episcopi nati, hi dati.

11. Hæc tamen specifica illorum Jurisdicção non fuit semper, & ubique æqualis.

Hoc, prætereundum particularia Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, vel ex eo liquet, quod prioribus Sæculis eorum Jurisdicção fuerit solum Vicaria, sive delegata; adeoque latitudinem suam ab arbitrio Delegantis desumebat: & quamvis subinde evaserit ipsi Dignitati propria; ex priori tamen fonte dictam inæqualitatem

relinquit: unde Summarium cap. 10. h. T. dicit: *Archidiaconi in Monasteriis Jurisdictionem non habent, nisi in quantum ipsis tribuit generalis, vel Specialis consuetudo.*

12. Insuper hæc Jurisdicção multum fuit restricta Jure novissimo Tridentini.

Videatur Sessio 24. cap. 3. & 20. quibus limitatur Jus commune circa ipsos, præsertim capituli r. h. T.

13. Quin Sæculo IX. ubi jam leguntur plures Archidiaconi, illorum Jurisdicção extensive multo restrictior esse debuit, quam antea, donec introductis Vicariis Generalibus, eorum splendor pene antiquaretur.

Prima pars per se patet; cum enim primis sæculis unus tantum in Diocesi esset Archidiaconus, toti Diocesi ex dictis intendebat; quod non fiebat Diocesibus in plures Archidiaconatus distributis.

Secunda vero inde evitit, quod Jure novissimo, & hodiernis moribus eorum amplissima Jurisdicção administraretur per Vicarios Generales, aut alios Ministros Episcopi; adeo, ut Navarrus cap. 25. Manualis N. 135. testetur, se in Hispania neminem scire, qui sit Archidiaconus talis, de quo loquitur Rubrica; cum alii nudum Archidiaconatus titulum gerant: alii jurisdictionem quidem titulo annexam habeant; at subordinatam Vicario Generali & Officiali, & in certum Diocesanos districtum, quales in nostra Archidiaconæfana Synodo A. 1605. constitutos legimus.

## TITULUS XXIV.

### De Officio Archipresbyteri.

Quoniam Chorepiscopi magnam cum Archipresbyteris aſſinitatem habent,

de illis una agemus hoc Titulo, quem proin in binos §§. dispeſcemus.

## §. I.

## De Archipresbyteris.

1. Quemadmodum Archidiaconi, ita & Archipresbyteri nomen, & officium à primis Ecclesiæ Sæculis viguit.

Hæc propositio eodem, quo prima, Titulo præcedenti de Archidiaconis, Hieronymi testimonio ex epistola ad Rusticum adstruitur: *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.* Græci Proto-Presbyteros, hoc est, primos inter Presbyteros nominabant: quo titulo Sæculo IV. Arslucius in Concilio adversus Chrysoft. coactio insignitur, qui etiam titulus legitur in Concilio Chalcedonenfi 3. E contra Latini, Græco nomine utentes, Archipresbyteros, seu Principes Presbyterorum nuncuparunt, ut patet ex mox allato Hieronymi testimonio. Ique in Ecclesiæ Latina Archipresbyter audit, qui ordinatione esset antiquior, ad differentiam Archidiaconorum, quos rerum agendarum peritia, industriaque ad id honoris sublellum evehebat. (Tit. 23. N. 6.)

2. Ulque ad Hieronymi tempora, & ultra, unus solum erat in unaquaque Ecclesiæ Cathedrali Archipresbyter; subsequentibus tamen Sæculis multiplicati sunt, & prius quidem probabiliter, quam Archidiaconi.

Primam partem adstruunt verba S. Hieronymi jam recitata, quibus innuit, suo tempore singulis Diocæsis sicut unum Episcopum toti Communitati, Archidiaconum Choro-Diaconorum, ita Archipresbyterum præpositum fuisse Choro-Presbyterorum, Urbanorum numerum, seu Ecclesiæ Cathedralis; nam Cleri Ruralis cura Sæculo illo IV. Chorepiscopos jam demandata legitur. (N. 11. h. T.)

Quantum ad secundam partem plures Archidiaconos Sæculo IX. legitimus (N. 4.

T. 23.); cum plurium Archipresbyterorum per agros Diocæses constitutorum Sæculo VI. jam meminere S. Gregorius Turonensis Miraculorum lib. 1. c. 78. lib. 2. c. 22. item de Gloria Confessorum c. 5. Archipresbyter Parochia Nemausensis, &c. Archipresbyter, qui tunc locum illum gerebat, &c. Cum Archipresbyter Loci Eulalius Clericos convivio invitasset, Edatus vero alius Presbyter viduis ac pauperibus reliquis edulium præpararet, &c. Archipresbyter Mercensis vicus, &c. Qui omnes loci, præsertim ultimus, innunt, ruri fuisse ea tempestate Archipresbyteros, qui tum, præter peculiarem Parochiæ suæ, cæteram etiam, quæ vicinioribus essent, generalem quandam, & communem curam haberent; quemadmodum nunc fit à Decanis vel Vicariis Foraneis vel primi Principesque inter Presbyteros cuiuslibet Parochiæ essent, aliorum Presbyterorum, Clericorumque mores præstantes: quod & iisdem locis insinuat, & disciplinæ illorum Sæculorum congruit (inquit Thomassinus): idque vel maxime, quod illo jam Sæculo Chorepiscopii in Occidenti Parochiis Ruralibus superintenderent (N. 12. h. T.).

3. Distinctio inter Archipresbyteros Urbanos, & Plebanos cap. 3. & 4. h. T. insinuata, mediis hæc Sæculis jam fuit in usu.

De Plebanis testificantur ea, quæ ex S. Gregorio Turonensi N. præcedenti retulimus; de Urbanis pro Sæculo VII. testimonium habemus Joannem IV. apud Bedam Hist. Eccl. l. 2. c. 19. qui electus Pontifex, sed nequum inthronizatus, epistolæ ad Abbates & Doctores Scotiæ, sive Hyberniæ, post Romanæ Ecclesiæ Archipresbyterum Hilarium, subscripsit. Concordat eodem Sæculo Concilium Emeritense Canone 10. decernens: *Ut omnes Episcopi intra suam Provinciam constituti, in Cathedralibus Ecclesiis singuli Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primi-Clerum habere debeant.*

4. Primis Ecclesiæ Sæculis in utraque Ecclesiæ Archipresbyter communiter fiebat non electione, aut meritorum prærogativa, quemadmodum Archidiaconus, sed jure ordinationis: seu, ille communiter fuit Archipresbyter, qui aliis ordinatione senior exiit.

Causam differentie assignavimus T. 23. N. 6. communiter autem id factum asserimus, quod in Ecclesiæ Græca subinde non Senioratus in Ordinatione, sed meritorum præcedentia pensi haberetur: cujus rei exemplum notabile pro Sæculo V. annotavit Liberatus Diaconus cap. IV. ubi narrat, in Concilio Chalcedonenfi in locum Dioscorig electum fuisse Proterium, quem ipse Dioscorus Archipresbyterum fecerat. In Proterium universonum sententia declinavit: utique qui & Dioscorus commendavit Ecclesiam (Alexandrinam), qui & eum Archipresbyterum fecerat. Constantior fuit adducta disciplina in Ecclesiæ Latina; eodem enim Sæculo V. S. Leo Papa ep. 57. & 58. graviter increpat Donum Episcopum Beneventi, quod primum, præ aliis, locum recens ordinato Presbytero tradiderit.

Antiquissimam hanc seu legem, seu consuetudinem ad Sæculi hujus finem innovavit Gelasius Papa ep. 9. scribens: *Nec cuiuslibet utilitatis causa, seu Presbyterum, seu Diaconum bis præferre, qui ante ipsos fuerint ordinati.* Ubi nota, Gelasium loqui de serie, seu gradibus Diaconorum, ulque ad Archidiaconum exclusive; hunc enim non ob ordinationis prioritatem, sed à meritorum prærogativa in primum ac generalem Episcopi Ministrum evectum fuisse relato N. 6. T. 23. probavimus. Hæc tamen Senioratus prærogativa videtur tantum solita fuisse observari, quandiu Archipresbyteri, seu Urbani, sive Rurales, Compresbyteris secum commorantibus, dum vita communis adhuc vigeret, sive in Cathedralibus, sive in Ruralibus Ecclesiis intendebant: at, postquam Archipresbyterus in Cathedralibus evasit in Dignitatem, & Ruralia Beneficia amplius legre-

gata & divisa sunt, atque Archipresbyteri visitationibus diversarum Parochiarum in locum Chorepiscoporum præfecti; per se patet, in eorum institutione non tam Seniorii, quam qualitatum rationem habere cecepisse.

5. Archipresbyteri à Sæculo IV. & deinceps Archidiaconis, & Chorepiscopis dignitate cedebant.

Si Canon 57. ex Arabicis Nicæni Concilii à Turriano editis genuinus esset, res in aprico foret; ille siquidem in publico confesso primum locum tribuit Episcopo, secundum Archidiacono, tertium Chorepiscopo, quartum denique Protopapæ, seu Archipresbytero. Sed quidquid sit de his Canonibus, propositio ex ipso Archidiaconi Officio N. 8. T. 23. descripto liquere videtur; atque ex S. Isidori testimonio rel. diit. 25. c. 1. confirmatur, ubi S. Pater Sæculo VI. utique ex antiqua traditione, scribit: *Archipresbyter se esse sub Archidiacono, & usque præceptis, sicut Episcopi sui, sciat obedire.* Quantum ad Chorepiscopos infra N. 12. probatur.

6. Sicut autem Archidiaconi erant Vicarii Episcopi in iis, quæ pertinebant ad ordinationem Divini Officii, atque ad jurisdictionem tum voluntariam, tum contentiosam; ita Archipresbyteri eodem officio in munitis Presbyteralibus fungebantur.

Id Sæculo VI. ex Ecclesiastica Traditione describit S. Isidorus mox laudatus ep. ad Ludifredum apud Grat. L. cit. Archipresbyter — sciat — supra omnes Presbyteros in ordine positos curam agere, & assistere in Ecclesiis stare; & quando Episcopi sui absentia contigerit, ipse vice ejus Misarum Solemnia celebret, & Collectas dicat, vel cui ipse injunxerit. Ad Archipresbyterum ergo Sæculo VI. spectabat, I. curam agere Presbyterorum Ecclesiarum tum Cathedralium, tum Ruralium. II. Si esset Urbanus, in absentia Episcopi Misarum Solemnia celebrare, & Collectas vel per se, vel per alium à se constitutum dicere.

III. Ex Concilio Antiliodorensi in Burgundia hoc Sæculo celebrato Can. 44. & aliis autoritatibus, curam viduarum, pupillarum, ac peregrinorum cum Archidiacono vice Episcopi habere. IV. Sæculares instituire & monere, atque Canonum observantiam curare in pagis, si Archipresbyter Ruralis foret. V. Invigilare vice Episcopi tam super Clerum, quam super Plebem Christianam. VI. Transgressores Canonum ad Episcopum deferre. Et quando Chorepiscopi fuerunt abrogati, illorum loco, ut etiam ipsis superstitibus certo Parochiarum districtui, minori tamen intendere. Hinc Sæculo IX. inter Constitutiones Riculphi Episcopi Suesionensis cap. 20. legitur: *Rationi quoque proprium est, ut unoquoque mense statuta die, id est, Kalendis uniuscujusque mensis per singulas Decanias, Presbyteri simul conveniant (apud Decanum, seu Archipresbyterum) & de his, quæ in eorum Parochiis accidunt, sermonem habeant.* Erant ergo jam tum Diocæses in certas Decanias distinctæ, quibus singuli Decani, seu Archipresbyteri præerant.

## §. II.

## De Chorepiscopis.

7. PRIMIS tribus Ecclesiæ Sæculis nulli videntur existisse Chorepiscopi.

Nullum enim prorsus in ullo Ecclesiastico horum Sæculorum monumento de illis reperire est vel vestigium: quod certe haud contigisset, si Chorepiscopi illis temporibus existissent, cum Presbyteris fuissent majores, atque Dignitati Episcopali proximi.

8. Sæculi IV. initio in Oriente notiam fuerunt Chorepiscopi.

De illis siquidem mentio, & quidem prima, fit in Concilio Ancyrano A. 314. Canone 9. deinde in Nicæno A. 325. Can. 8. in Antiochæno A. 341. Can. 10.

9. Sæculo V. ex Oriente ad Occiden-

tales Ecclesiis Chorepiscoporum nomen & institutum transit.

Circa annum enim 439. teste Thomasio de vet. & nova Eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 1. N. 13. in Concilio Rhègensi, Argumentario ab Episcopatu deposito, quod à duobus tantum Episcopis seie ordinare curaverit, facultas datur, vi cuius liceat in unam Parochiarum suarum Ecclesiam concedere, in qua Chorepiscopi nomine, ut idem Canon Nicænus (videl. 3. mox citatus) loquitur, aut peregrina communionem foveatur. A Nicæna ergo Synodo aliquam ideam Chorepiscopi sibi formarunt Galliarum hujus Concilii Patres. Umbra enim tantum Chorepiscopi in hoc Armenario præfuit, cum unius tantum Parochiæ curam gesserit; eoque Sæculo in Africa adhuc nullus, in aliis vero Occidentis Provinciis rarior usus fuerit. Neq. obstat epistola Damaso, qui fedit Sæculo IV. item S. Leoni M. qui Sæculo V. floruit, tributa, quæ mentionem Chorepiscoporum in Occidente his Sæculis ingerunt; utraque enim doctissimorum hominum judicio est supposititia.

10. Sub Carolo M. seu Sæculo IX. Chorepiscopi & numero, & autoritate erant plurimum conspicui.

Propositio per subsequencia in apicrum ponetur.

11. Chorepiscopi ab Episcopis ad nuntium proprium eligebantur, & consecrati Ruri præficebantur.

Prima pars inde constat, quod essent Episcoporum Vicarii, curam Pastoralem vice eorum Parochiis Ruralibus impendentes: unde Synodus Antiochæna Canone 10. in fine sic habet: *Chorepiscopus vero Civitatis Episcopus ordinet, cui ille subiectus est.*

Quantum ad secundam, Chorepiscopos Sæculo IV. ab Episcopis consecrari solitos prodit Synodus Antiochæna Canone 10. mox cit. Verba Canonis sunt: *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem*

Epis-

Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint; tamen S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent sibi subiectas Ecclesias, earumque moderamine, curaque contenti sint.

12. Potestas, Jurisdicctio, & Officia Chorepiscoporum à IV. statum Sæculo erant splendida.

Quamvis enim qua tales nunquam fuerint veri Episcopi, ut infra probabimus, sed Episcoporum Vicarii Foranei, qui in vicis villisque instituebantur, ac in Parochiarum Ruralium curam incumbentes tractum sibi ab Antistite assignatum visitabant; multas tamen adeo habebant præmodernis Vicariis Foraneis prærogativas, ut veros eos fuisse Episcopos de factò multi suspicentur. Eorum vero officia fuerunt sequentia. I. Per Canone 9. Concilii Ancyranum declarantur Vicarii Episcopi, ad exemplum septuaginta Discipulorum constituti. II. Per Canone 10. Synodi Antiochænae constituere, seu ordinare poterant Lectores, Hypodiaconos, & Exorcistas. III. Idem Concilium Canone 8. facultatem ipsis tribuit, ut formatas in aliam Dioccesim migrantibus dare possint. IV. Visitatio Ecclesiarum suo districtui incorporatarum, & cætera jura, à Vicariis Foraneis exerceri solita, illis competebant, ex eodem Canone 10. Cum autem N. 8. T. 23. probaverimus, Archidiaconos fuisse præcipuos Ministros Episcopi in Regimine totius Diocæses, quantum ad Jurisdicctionem voluntariam & contentiosam, atque ordinationem Ecclesiæ Cathedralis: N. vero 6. h. T. Archipresbyteros Plebanos, aut Parochos illos fuisse, qui cum pluribus Presbyteris, ad imitar modernorum Capellanorum, uni Parochiæ, aut postea cum Decani pluribus præessent; verosimile est, Chorepiscopos, dum adhuc superessent, horum Archipresbyterorum fuisse Inspectores: ad eum fere modum, quo alma Archidiaconus Prægeni in Synodo Provinciali anno 1605. Titulis de Archidiaconis Diocæsanis, & Decanis Ruralibus distributa

tuit in certos Decanatus, quorum primi intenderent certis Parochiis, secundi vero certis Decanatibus, utrique vero subessent Vicario Generali & Officiali Archiepiscopi, qui, ut dictum est, officium subit veterum Archidiaconorum.

13. Chorepiscopi Sæculo IX. abrogari ceperunt, & sæculo X. penitus sublatis sunt, atque in eorum locum Archidiaconi, & Decani Rurales substituti.

Quantum ad primam partem, eodem Sæculo lata fuit lex sequentis tenoris, inserta Capitularium libro 6. cap. 119. atque his verbis concepta: *Placuit, ne Chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant: quoniam hæcenus à nescientibus SS. Patrum, & maxime Apostolicorum decreta, & qui suis quietibus, & delectationibus inhaerent, facti sunt. Idcirco & olim per sepe, & nostro tempore à Sancta & Apostolica Sede sunt prohibiti: & ne deinceps à quocumque tam Ordinario, quam ordinari cupiente talis præsumptio assumatur; à cunctis Regni nostri Episcopis est in Synodo canonice prohibitum.*

Quantum ad secundam partem, causa, cur, non obstante hac lege & Apostolicis mandatis, tamen usque ad Sæculum X. perduraverint Chorepiscopi, ex ipsa Constitutione detegitur: inquit Nat. Alexander Hist. Eccl. Sæc. 4. dissert. 44. Ipsos nimirum fovit Episcoporum in sacris ministeriis obeundis desidia. Homines scilicet Laici ad Episcopalem Dignitatem, honoribus & divitiis opam evecti, onera illi conjuncta ferre dedignantur; ideoque illa in Chorepiscopos transferebant, dum interim ipsi genio liberius indulgerent. Hinc Synodus Meldensis animadverti statuit in Episcopum, qui propter desidiam, aut secularium pervagationem, vel propter infirmitatem, modum suum Chorepiscopis transcendere contenserit. Alteram causam ibi adducit ex Flodoardo lib. 3. Hist. Ecclesiæ Rhemenfis cap. 10. occasionem nempe inde arreptam à Magnatibus & Principibus retardandi canonicæ Episcop-

corporum electiones. Existimabant enim vero se Ecclesie & Officio suo satisfecisse, si Chorepiscopus modica mercede conductum Sedi vacanti præficerent, qui episcopalia munia obiret, dum interim ipsi redditus Ecclesiasticos suis fruentibus Aulicis assignabant. Et subdit: His incommodis perceptis, & perpenis, Episcopi ad Capitularis executionem summo consensu conspirarunt, à Chorepiscopis constituendis abstinere, & spartam illorum, uti in propositione dictum est, in Archidiaconos, & Archiepiscopos dividentes.

#### QUESTIO SCHOLASTICA.

Utrum Chorepiscopi fuerint meri Presbyteri, an Episcopi?

14. **Q**uestionem hanc, quam Natalis Alexander dissertationi 44. in Sæculo IV. Hist. Eccl. de superioritate Episcoporum ad Presbyteros appendit, nos eidem questioni infra Titulo de majoritate & obedientia tractanda præmittimus, cum ea præfocetur unum ex præcipuis argumentis Blondelli Calvinista, quod pro stabilienda Presbyterorum cum Episcopis æqualitate, ex muniis, & officiis, olim ab his Chorepiscopis obiri solitis, desumit: atque vim suam inde nanciscitur, quod dicta munia videantur fuisse Episcopalia, & Chorepiscopi nihilominus facile proberentur simplices Sacerdotes. Quod ultimum dum probandum suscipit, primum, videlicet Chorepiscopos jure nunquam exercuisse munia Episcopalia, sed tantum usurpatione, quoque evincet; adeoque intentum nostrum contra Blondellum obtinebit sequens



#### PROPOSITIO.

*Chorepiscopi Ordinatione sua non erant Episcopi, sed meri Presbyteri, aliquo Jurisdictionis Episcopalis privilegio aucti.*

15. **H**anc propositionem Natalis Alexander validis probat conjecturis, quæ non nisi characterem simplicis Sacerdotis in Chorepiscopis arguunt. Quarta prima est: Quod veteres omnes, qui de Chorepiscopis verba faciunt, eos dicant ad similitudinem septuaginta Discipulorum creatos. Telles sunt Concilium Neocaesariense Can. 13. S. Isidorus lib. 2. de Officiis Eccl. c. 6. alique. Episcopos autem esse Apostolorum Successores, in apice est.

16. Secunda: Quod ex Traditione Apostolica, in hunc usque diem religiose observata, Episcopus à tribus saltem Episcopis ordinandus sit; alioquin & Ordinandus & Ordinator deponatur: at Chorepiscopi ab uno tantum, aut à duobus ad summum Episcopis ordinabantur, juxta Canonem 10. Antiochenum infra N. 25. h. T. referendum. Sane Armentarii ordinatio, à duobus temere convenientibus Episcopis facta, in Synodo Rhemenensi missa est in irritum (N. 9. h. T.); quem tamen in una Ecclesia Chorepiscopum institui permisit indulgentior Synodus.

17. Tertia: Quia Chorepiscopi in pagis, villis, & oppidulis constituebantur (N. 12. h. T.), quod factum haud fuisset, si veri Episcopi existissent; hos enim in pagis constitui vetant Canones Laodicæni 57. Sardicenses 6. Toletani XII. Concilii Canon 4. S. Leo ep. 8.

18. Quarta: Quia Functiones Episcopales, ab his umbratilibus Episcopis temere usurpata, nimirum, Presbyterorum, & Diaconorum consecratio, Chirifinatis consecratio, Confirmationis collatio, &c. à Romanis Pontificibus, & Conciliis Sæculi IX. inanes & irritæ juxta Canonicas Sanc-

tiones

tiones declaratae sunt. Autoritatum succum ex Nat. Alex. l. c. huc desorabo. Primum occurrit Leo III. qui solemnem Legatione ab Episcopis Gallie & Germanie, quam obivit Amo Juvavensis, seu Saltzburgeris Archiepiscopos, aditus, atque circa characterem hominum, quos cum Clero ipsi quoque Laici idola tantum Episcoporum gravissime suspicabantur, interrogatus, respondit: Nullum fore Presbyterum, vel Diaconum ab eis ordinatum, nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec Virginem consecratam, nec quemquam confirmatum, neque quidquam, quod de Episcopali ministerio præsumpsere, esse peractum. Quo Pontificis responso accepto, Gallie & Germanie Episcopi Ratisbonæ in Concilio congregati, secundum Sedis Apostolicæ decretum irritum esse pronuntiarunt: Quiddam à Chorepiscopis episcopaliter præsumptum est; nam Episcopi non erant (inquunt) quia nec canonicè à tribus Episcopis ordinati.

19. Secundo loco venit Concilium Parisiense VI. A. 829. quod Canone 27. lamentatur, reprehensibilem usum irrepsisse, & inolevisse, eo quod quidam Chorepiscopi ultra modum suum progredientes, & donum S. Spiritus per impositionem manuum tradant, & alia quæque, quæ solis Pontificibus debentur, peragant; cum tamen Episcopi nequaquam sint, quoniam juxta Actum Apostolorum, & canonicam auctoritatem ad exemplum Apostolorum, illi vero ad exemplum duntaxat 70. Discipulorum instituti sint.

20. Ex eadem ratione libro VII. Capitularium, Capitularibus 328. & 329. consecratio Sacerdotum, Diaconorum, &c. illis denegatur; eo quod hæc omnia Summis Pontificibus debentur, & non Chorepiscopis, vel Presbyteris, quorum (posteriorum) formam juxta SS. Canonum decreta Chorepiscopi tenent: verba sunt Capitularis 328.

21. Earundem functionum auctoritatem juxta canonicam institutionem, &

Decreta Innocentii ipsis denegat Concilium Meldense A. 845. Can. 44. itemque Concilium Metense A. 889. celebratum.

22. Sed jam Sæculo VII. ineunte, videlicet A. 619. Concilium Hispanense II. Canone 7. Chorepiscopos, & Presbyteros juxta Canones unum esse affirmat; & hinc enumeratorum supra munium episcopialium usurpationem ipsidem severe interdicit: adjungens, hæc omnia illicita esse Presbyteris, (quibuscumque Chorepiscopos unum esse nuper affirmat) quia Pontificatus apicem non habent, quod solis deberi Episcopis auctoritate Canonum præcipitur: ut per hoc & discretio graduum, & Dignitatis fastigium Summi Pontificis demonstratur. Notet hoc pro interim Blondellus.

23. Et S. Isidorus Hispanensis, hujus Concilii Præses, utpote apud Coletum Tom. VI. Conciliorum col. 1415. primo loco subscriptus lib. 2. de Off. Eccl. c. 6. sic habet: Chorepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum, juxta quod Canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum septuaginta Seniorum; tanquam Sacerdotes, propter sollicitudinem pauperum. Hi in vicis & villis instituti, gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas. Presbyteros autem & Diaconos ordinare non audeant, præter conscientiam Episcopi, in cujus Regione præesse noscuntur. Hi autem à solo Episcopo Civitatis, cui adjacent, ordinantur. S. Isidorus hujus loci ultima periodo nec sentire omnes Chorepiscopos esse veros Episcopos, neque quod ut simplices Sacerdotes cum licentia Urbani Episcopi possint ordinare Sacerdotes, vel Diaconos, infra N. 30. videbimus.

Solvuntur auctoritates in contrarium adducibiles.

24. **Q**uemadmodum nos supra Chorepiscopis ex sine institutionis eorum, ex defectu ordinationis requisita, atque

atque ex auctoritatibus Romanorum Pontificum, & Conciliorum, episcopalia munia ipsis negantibus, characterem episcopalem abjudicavimus; ita eundem in ipsis arguere possunt, quod hæc munia episcopalia olim de facto obiverint, quodque eorundem obeundorum potestatem à Patribus, Conciliisque, præsertim iis, à quibus instituti creduntur, accepisse videntur. Et quod munia episcopalia sibi arrogaverint, eaque de facto obierint, ex jam dictis extra controversiam positum est: an vero ea etiam jure obierint, & consequenter à posteriori Episcopi demonstrarentur? jam dispiciendum. Itaque

25. Opponi potest primo auctoritas Canonis 10. Concilii Antiocheni N. 8. h. T. insinuat, quo decernitur: *li, qui sunt in vicis, vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiam si Episcopi ordinationem, manuumve impositionem perceperint, visum est, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrant; constituant autem Lectores, Hypodiatonos, & Exorcistas, & eorum promotionem sufficere existiment: nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant absque Urbis Episcopo, cui subjicitur ipse, & Regio. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur honore, prioretur. Chorepiscopum vero Civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.* Igitur Chorepiscopi de licentia Episcopi Cathedralis Sacerdotes, & Diaconos ordinare poterant: erant ergo characterem veri Episcopi, esto Urbanis subjecti. Addi potest hic locus ex S. Isidoro N. 23. h. T. relatus; in eo siquidem per illa verba: *juxta quod Canones ipsi testantur, se videtur expresse revocare ad hunc Canonem, eumque interpretari, quod Chorepiscopi ex ejus mente eum licentia Episcopi Cathedralis Sacerdotes, & Diaconos ordinare valeant, adeoque characterem veri Episcopi existant.*

26. Idem S. Isidorus & alludere videtur ad Canonem 13. Concilii Ancyranum, qui, secundum modum ad Dionysio Exiguo

latine redditus est, sensum Canonis Antiocheni ad intentum objectionis extra dubitationis aleam collocare videtur; sic enim sonat: *Chorepiscopi non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris Civitatis, sine præcepto Episcopi, vel literis in unaquaque Parochia.*

27. Atque ad horum Canonum normam videtur S. Basilii epistolam suam 181. ad Chorepiscopos suæ Diocesis exegisse: utpote in qua auctoritatem creando- rum Diaconorum, & Presbyterorum illis non auferit, sed conservat; idque unum efficere nititur, ut Chorepiscopi id impostorem canonice præstent, Prædecessorum exemplo, Ministros Ecclesiarum ante consecrationem, ut par est, examinando, in mores & vitam eorundem solite indagando: *Hoc enim, inquit, olim examinabant Presbyteri, & Diaconi, qui cum eis (nempe Suscipiendis ad Ordinem) versabantur: referabant autem ad Chorepiscopos, qui, à vere testantibus susceptis suffragiis, eorum Episcopum admonebant, Ministrumque postmodum in Sacerdotalem numerum adoptabant.*

28. Ad objectionem respondeo cum Natali Alexandro, Concilium Antiochenum non loqui de Chorepiscopis omnibus, sed solum de illis, qui Episcopi consecrati fuerant, ac postmodum ad Chorepiscopatum promoti, villis, vicisque subinde præstiebantur. His namque concedit Synodus, ut Lectores, Exorcistas, & Subdiaconos ordinent; non autem Diaconos, aut Presbyteros, nisi Episcopus Civitatis, cui subditi sunt, hoc ipsis munus demandaverit. Et hanc ordinandi facultatem Canon bimembris suis ipse verbis se vel obiter legenti ingerit; ita ut tota difficultas ad hoc tantum devolvatur, primo: An inter Chorepiscopos, qui ordinari fuerunt meri Sacerdotes, subinde existerint aliqui, qui revera episcopalem characterem habuerunt? Secundo: An de his posterioribus loquatur præsens Canon; an vero de Chorepiscopis

repiscopis in globo, seu universim consideratis? Jam quod illo tempore inter Chorepiscopos fuerint veri aliqui Episcopi, Nat. Alex. l. c. probat ex Concilio Nicæno Can. 8. qui Novatianis ab hæresi redeuntibus gratiam facit Dignitatis Episcopalis retinendæ, si Orthodoxo Episcopo ita visum fuerit: vel saltem Chorepiscopatus locum obtinendi: *Nisi forte placuerit Episcopo (Orthodoxo) nominis (Episcopalis) eum (Novatianum Episcopum ab hæresi redeuntem) honore censere: si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero profusus esse videatur, & in una Civitate duo Episcopi probentur existere.* Verba sunt Canonis: quo innuitur unus casus, quemadmodum verus Episcopus fieri solitus sit Chorepiscopus; alter insinuat in Canone 18. Antiocheno, dum nempe veri Episcopi ob contumaciam Populi, aliasque causas suis ab Ecclesiis migrare cogebantur, quibus Collegas eorundem in suis Diocesisbus de Chorepiscopatu provididisse, ne extra Clerum esse censeretur, juxta mox relatum Canonem Nicænum, verosimillimum est. Et hoc erat unum.

29. Nunc quantum ad alterum, quod nempe Synodus Antiochena cit. Canone de Chorepiscopis istis tantum verba faciat, videtur ex ipsis verbis Canonis manifeste colligi. Si enim ruminentur, regulam, quod Chorepiscopi vi Chorepiscopatus non sint veri Episcopi, sed meri Sacerdotes, non evertunt, sed exceptionem faciunt, si nimirum casus insinuat, quo verus Episcopus ad Chorepiscopatus Officium assumetur, eveniret. En repetita ejus verba: *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint; tamen S. Synodo placuit, ut modum suum recognoscant.* Quasi dicerent: Etiam si quandoque contingat, ut Chorepiscopatus ab aliquo Episcopo exerceatur; ministerii ta-

men sui modum excedere non potest, ut absque licentia Episcopi Civitatis Diaconos, & Presbyteros ordinet.

30. Et per hoc patet ad locum S. Isidori, qui verba hujus Canonis, adeoque ejus sensum ad nostrum intentum l. cit. videtur exscriptisse; eo vel maxime, quod, ut ibi dictum est, Concilii II. Hispanensis Præsens fuerit, in quo potestas ordinandi Diaconos, & Presbyteros, Chorepiscopis, qua talibus, absolute interdicitur. Anteriora verba Canonis Hispanensis N. 22. h. T. relati, ne ullum dubium superstit, hic adaugero: *Quamvis (Chorepiscopi) cum Episcopi plurima — Mysteriorum communis sit dispensatio; quædam tamen auctoritate veteris Legis, quædam novellæ, & Ecclesiasticis Regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum consecratio.*

31. Contra solutionem ad Canonem Antiochenum datam, videntur pugnare extrema verba illius Canonis: *Fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo Civitatis, cui subjicitur;* hæc enim verba, cum de Chorepiscopis universim loquantur, etiam priora in eodem sensu accipienda determinant.

32. Resp. Negando illarum; relatio enim illa, & conjunctio posterioris partis Canonis cum priore non efficit, ut de iisdem Chorepiscopis utraque intelligatur. Nam Canonis titulus est, *de Chorepiscopis generatim.* Deinde exceptionem facit eorum, qui consecrati fuerant Episcopi, & iis concedit licentiam ordinandi Diaconos, & Presbyteros, cum permisso Episcopi Civitatis: absque ejus vero concessione Lectores tantum, Exorcistas, & Subdiaconos promovendi. Denique statuit de modo institutionis Chorepiscoporum, ut scilicet ab Episcopo Civitatis, cui subijciuntur, omnes fiant, tam illi, qui meri sunt Presbyteri, quod ordinarium ac solemne est, quam illi, qui manus impositionem Episcoporum acceperunt, & ut Episcopi consecrati sunt, quod quandoque contingit. Omnibus namque commu-

ne erat, ut Chorepiscopus ministerium ab Episcopo Civitatis demandaretur.

33. Tandem non est spernenda Balamonis expositio hujus Canonis, scribentis, sensum illius non esse, quod solus Chorepiscopus Diaconorum ordinationem, aut Presbyterorum peragere possit, etiam ex Episcopi mandato: sed solum, quod accedere possit ordinationi ab Episcopo celebrande, eique ordinanti adesse, ac operam prestare. Quæ si genuina est, difficultatem omnem tollit.

34. Ad primam confirmationem Resp. editionem vulgatam Dionysii Exigui mutilam esse, in eaque restituenda hæc verba: *Aliquid agere, atque ita exhibendus Canon integer: Chorepiscopus non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris Civitatis aliquid agere sine præcepto Episcopi, vel literis in unaquaque Parochia.* Quo fit, ut præceptum Episcopi appellet super actiones Presbyterorum, non super ordinationes Chorepiscoporum. Ita porro explendam esse illam lacunam, conlat ex Epitome Canonum ab Adriano I. è versione Dionysii continnata, Capitulari Aquigranensi Caroli M. ex Ferrandi Diaconi, itemque ex Ildori Mercatoris versionibus, in quibus omnibus verba illa retinentur. Unde in Græco textu proculdubio deest *Ti prattin*, aut quid simile: quo loquendi modo utitur etiam Synodus Laodicensa in simili specie Can. 57. *Quod non oporteat, inquit, in villulis, vel in agris Episcopus constitui, sed Visitatores. Veruntamen jam pridem constituti, nihil faciant, præter conscientiam Episcopi Civitatis. Similiter & Presbyteri præter consilium Episcopi nihil agant.*

35. Alii Canonem intricatum ex alio principio extricare conantur, quod nimium improbabile haud visum fuerit doctis quibusdam Viris, simplices Sacerdotes ex Sammi Pontificis delegatione posse alios ordinare, quorum catalogum l. cit. sexit Natalis Alexan. subjungens, hanc senten-

tiam sequendam non esse, quod traditioni repugnet, sed priori responsioni inhaerendum.

36. Ad autoritatem S. Basilii resp. hæc verba, *In Sacerdotalem numerum cooprabant*, significare solam adlectionem in Clerum, non vero Sacram Ordinationem; loquitur namque de quibusvis Ministris S. Basilii; & Chorepiscopos suos objurgat, quod à veteri disciplina recesserint, nec sedulo discunt eorum merita, quos Clero adscribunt, nec de iis ad se deferant. Tria itaque distinguenda sunt, ut S. Basilii locus intelligatur, imò quatuor: *Primo*, testimonia de probitate, & meritis eorum, qui Clericis Militiæ sunt candidati: *Secundo*, hujusmodi testimoniorum susceptio, & discussio: *Tertio*, Sacra Ordinatio: *Quarto*, Cooptatio in Clerum in Parochiis rusticis, aut villulis. Testimonium fere de meritis Ordinandorum spectabat ad Plebem, nec non ad Clericos, qui cum Promovendis familiariter egerant. Hujusmodi testimonia excipere, discutere, deque iis ad Episcopum referre, munus erat Chorepiscoporum. Sacras Ordinationes conferre, seu ad Majores Ordines promovere, solus erat Episcopi. Ministros demum cooptare in Clerum rusticarum Parochiarum pertinebat ad Chorepiscopos, consulto prius Episcopo Civitatis, ut docet Collectio Canonum Arabicorum Concilii Nicæni, esto fortassis supposititia, antiquissima tamen, Canone 60. *Non enim licet, inquit, ut nullus ministret in Sacello, sive Capella Diacesti, sine licentia Chorepiscopi. Quandoquidem ipse est Caput illorum.* Prohibet ergo S. Basilii, ne Chorepiscopi suæ Diocæsis aliquid deinceps inferioris gradus Clericum constituant, antequam ad Episcopum retulerint, qui Promovendorum meritis suffragetur.

37. Opponi potest secundo autoritas Nicolai I., qui A. 864. consultus à Rudolpho Archiepiscopo Bituricensi de Presbyterorum, & Diaconorum ordinationibus,

bus, celebratis à Chorepiscopis in Gallia, respondit: *Nec innocentes* (videlicet à Chorepiscopis bona fide ordinatorum) *debere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes; & pergit: Ad formam enim 70. Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse Officia?*

38. Hanc autoritatem Natalis Alexander l. cit. exponit primo de quibusdam Chorepiscopis, qui consecrati fuerant Episcopi; quemadmodum N. 28. h. T. Canon Antiochenus expositus est. Secundo vero existimat, Nicolaum I. probabilis de omnibus Chorepiscopis locutum fuisse (id quod etiam mihi videtur); sed quoniam idem Nicolaus in relata ep. testatur, se solito occupatiorem negotiis Ecclesiasticis fuisse, dum consulationi huic responderi urgeretur, verba ejus sunt: *Quamvis solito nunc angustius Ecclesiasticis sinus occupati negotiis, & ob id respondere tuis spatiosius nequeamus consultibus, &c.* uti refert Nat. Alexand. in Scholio contra Censores Romanos l. cit. hac in parte cum eodem præclaro Authore potius adhæreo Leoni III. N. 18. h. T. in favorem nostræ sententiæ adducto, quam Nicolao I. si ille contrarium sensit.

39. Opponi potest tertio Rabanus Maurus in lib. seu epist. ad Drogonem Metensem Episcopum, de Chorepiscopis inscripta, quam primum vulgavit Vir eruditus Steph. Baluzius post librum quartum Petri de Marca de concordia Sacerdotii, & Imperii: in qua mordicus tuetur, Chorepiscopos juxta præceptum Episcoporum suorum posse ordinare Diaconos, & Presbyteros, ac cæteros gradus, atque reliqua Officia Sacerdotalis Officii peragere. Quam suam sententiam autoritatis Concilii Ancyran, & Antiocheni jam adductis fuit.

40. Sed Rabani autoritatem eadem libertate explodimus, qua ille Leonis III. responsum (N. 18. h. T.), & Gallicanæ Synodi judicium (N. 19. h. T.) insuper

habuit: Conciliorum porro Ancyran, & Antiocheni Canonibus, quibus ille nititur, jam responsum est (N. 28. & 34. h. T.). Lini, & Cleti exemplum, quod ibidem adducit idem Rabanus, nihil quoque probat; cum Episcopi à S. Petro immediate alter post alterum successerit. Præterea Rabanus apocryphis nititur, scilicet, Pontificali Pseudo-Damasi libro, & epistola Clementis ad Jacobum fratrem Domini (hoc lib. tit. 2. N. 155.); denique Rabanus libellum suum subijcit censuræ Drogonis Metensis Episcopi.

41. Opponi potest quarto Canon 12. Concilii Chalcedonenis, quo Simoniacæ Ordinationes prohibentur: in hoc enim Canone observatur distinctio Ordinum, & Officiorum Ecclesiasticorum, & Chorepiscopus inter Sacros Ordines expresse numeratur, & quidem medius inter Ordinem Episcopalem, & Presbyteralem, his verbis: *Si quis ordinaverit per pecuniam Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, &c.* Igitur Sæculo V. Chorepiscopi majores, & quidem Ordine, censebatur Presbyteris: erant ergo veri Episcopi, quamvis Villani, & Rurales dumtaxat.

42. Resp. N. illatum; cum enim Chorepiscopi tribus primis Sæculis in Ecclesia non fuerint, & nono Sæculo fuerint extirpati; Chorepiscopus dici non potest institutus à Christo, adeoque nec Sacris Ordinibus connumerari. Concilium autem Chalcedonense Chorepiscopos inter Officia recensere noluisset, quorum temporale tantum erat ministerium; sed cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, quorum munia spiritualia sunt, seu Ordinis, seu Jurisdictionis: quia est eorum Ordo non esset à simplicibus, & secundum Ordinis Sacerdotio distinctus; jurisdictione tamen sibi ab Episcopis demandata in Parochias Pagorum, earumque Presbyteros, simplicibus Sacerdotibus præerat. Antimarum porro cura, & spiritualis jurisdictione absque nefario crimine, & profus simili ei,

quo Sacre Ordinationes venduntur, pretio dari, & emi non potest. Quod quidem crimen Officiorum ſæconom, aut Defenſoribus venditione longe eſt deteſtabiliſ. Impoſitio igitur manuum, qua creabantur Chore-

piſcopi, novum iſtis non conferebat Ordinem, ſed iuriſdictionem ſpiritualem dumtaxat, inferiorem Epiſcoporum, ſuperiorem Preſbyterorum iuriſdictione, quæ vendi, & emi abſque ſimonix lægæ non poterat.

## TITULUS XXV. XXVI. XXVII.

### De Officio Primicerii, Sacriſtæ, & Cuſtodis.

1. **P**reſenti Titulo notas hiſtoricas non tantum de ſpecificatis, ſed etiam de aliis utriuſque Eccleſiæ nominatiõibus Officiis, puta, de Scholaſticis, Sacellariis, Theſaurariis, Manſionariis, Defenſoribus, vice-Dominis, Syncellis, Notariis, Chartulariis, Cancellaris, & Chartophylacibus dabimus; breves tamen.

2. Primicerii nomen generale eſt, eique attribuebatur, qui in Officiis, vel Dignitatibus, quæ pluribus communicabantur, primus erat; & conſequenter catalogo, ubi eorum nomina ceræ inſculpebantur, primo loco conſcriptus.

Unde jam Sæculo V. Aetius Archidiaconus Conſtant. legitur Primicerius Notariorum, & in Eccleſia Latina poſt Primicerium, etiam Secundicerius Notariorum Paterius conſpicitur: apud Greg. M. lib. 2. ep. 22. & 6. ep. 29.

3. In præſenti nomine Primicerii venit iſ, qui primus erat in Ordine Clericorum, aut potius illi præſeſt, præcipue quantum ad ordinationem Divinorum Officiorum.

Unde in Concilio Emeritenſi Canone 10. & 14. dicitur Primicerius, & in Tolet. VIII. & XV. Primicerius; & ex principaliori officii ſui ſparta, Cantor, vel Præcentor. C. 6. de Conſuet.

4. Sæculo VI. Primicerii, ſeu Primicerii jam exiſterunt.

Illorum ſiquidem officia à S. Iſidoro Hiſpalenſi deſcribuntur. S. quoque Remigius Remenſis Archiepiſcopus horum Primice-

riorum meminit, Concil. Galliæ tom. 1. pag. 205. Cauſam probabilem, cur ſubinde in Eccleſiis Cathedralibus introducti fuerint, cum prius Archidiaconi pro ſeipſos inferiori Clero intenderent, Thomafinus de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. p. 1. lib. 2. c. 103. N. 10. inde adducit, quod lapſu temporis horum Archidiaconorum Officia, & Iuriſdictione ex creverit, ut eſſent Epiſcoporum Vicarii Generales, univerſales adminiſtri, & ſuperioris Cleri Inſpectores (N. 8. T. 23.); adeoque ob hanc negotiorum moleſem Provincia intendentiæ ſuper Clerum inferiorem, ſaltem *immediata*, alteri, qui Primicerius, ſeu Primicerius inde dicebatur, conſerenda fuit: unde Canone 10. Concilii Emeritenſis, A. 666. celebrati, ſancitur: *Ut omnes Epiſcopi in Cathedralibus Eccleſiis ſuum Archiepſbyterum, Archidiaconum, & Primicerium habeant.*

5. Eorum officia ex S. Iſidoro rel. Diſt. 25. Can. 1. aliſque Eccleſiaſticis monumentis erant varia.

*Primo*, præerant Acolythis, Exorciftis, Pfalmiſtis, & Lectoribus. *Secundo*, illorum moribus, & vite honeſtati invigilabant. *Tertio*, ad Officium Divinum eos ſigno convocabant, illuſque partes ſingulis diſtribuebant; ordinemque ac modum psallendi, pro diverſitate temporum & ſolemnitatum, eos edocebant. *Quarto*, de reparatione Baſilicarum Urbis Epiſcopo ſuggerebant. *Quinto*, Epitolas Epiſcoporum pro diebus jeſuniorum Parochianis

per Oſtarios dirigebant. *Sexto*, Clericoſum defectus vel iſtiſ corrigebant, vel ſi non valerent, ad Epiſcopos emendandos deſerebant. *Septimo*, Baſilicanos conſtituebant. *Oſtavo*, Matriculam diſponebant. Hæc ex Iſidoro l. c. Non ſolum autem hiſ, quos modo dicimus *Minoritas*, ſed etiam Subdiaconis præerat Primicerius, uti aperte ſupponit Canon 14. Concilii Emeritenſis N. præcedenti relatus; quin in Eccleſia Latina & Diaconis præerat, uti colligitur ex Cap. un. h. T. deſumpto ex Ordine Romano, ubi eos docere, atque lectione iſtis dare jubetur; quorum omnium proinde immediatus Superior hiſce Sæculis exſtitit: ac proin cum Archidiacono, & Archiepſbytero Romanam, abſente Pontifice, gubernabat Eccleſiam, teſte Martino Papa ep. 15. ſcribente: *Quia in abſentia Pontificis Archidiaconus, Archiepſbyter, & Primicerius locum præſentium Pontificis.* Unde in Hiſpania, & alibi ex Collegio Subdiaconorum, Romæ vero ex Diaconorum Primicerius aſſumebatur.

6. Officia Scholaſtici, & Primicerii in Eccleſiis Cathedralibus, & olim videntur fuiſſe diſtincta, nec modo poſſunt generaliter conſundi.

Primum poſitionis membrum inde liquet, quod Eccleſiaſtica monumenta, dum officia Primiceriorum enumerant, nullam muneris docendorum puerorum, aut Præſecturæ Scholarum mentionem ingerant; quam tamen ſpartam Scholaſticus præcipue exornabat: quemadmodum videre licet in Regula Canonicoſum c. 135. ubi habetur: *Frater* (qui debebat eſſe ex probatiſſimis ſenioribus Canoniciſ) *cui hæc cura committitur, ſi eorum* (puerorum nimirum, & adoleſcentum) *curam parvi penderit, aut eis in aliquo leſionis macula ingeſſerit, ſeveriſſime correptus ab officio amoveatur: & Fratri alii id committatur.* Item in Concilio Aurelianenſi Anno 1017. ubi dicitur, quod Heribertus Eccleſiæ S. Petri capitale *Schola* tenebat *Dominium*; & in Charta De-

dicationis Abbatæ Vindocinenſis A. 1040. ubi Scholaſticus *Magiſter Scholarum*, & in Concilio Bituricenſi A. 1031. ubi *Capituli-Scholaſ* nuncupatur.

Secundum vero inde colligitur, quod, juxta omnes pene Canonicaſ, teſte Vanneſpen, Primicerius, de quo agit præſens Titulus, idem ſit cum eo, quem hodie in perliſque Eccleſiis Cantorem dicimus: unde in Cap. 6. de Conſuet. vocatur *Præcentor*; quæ tamen Capitula Scholaſticum præterea habent. Quanquam diffiteri nolumus, alicubi Primicerium vocari illum, qui alibi audit Scholaſticus: & hæc duo, quæ principio mera fuerunt officia, alicubi poſtea fuiſſe Dignitates, alibi Perſonatus; quorum tamen nomina in Capitulis fere ſuperflua.

7. Ad ſuperfluum vi Capituli unici h. T. pertinet cuſtodia Vaſorum Sacrorum, Veſtimentorum Eccleſiaſticorum, ſeu totius Theſauri Eccleſiaſtici: nec non quæ ad luminaria pertinent, ſive in cera, ſive in oleo.

Sacriſtæ, ſive Scævophylaciſ meminit Theodoruſ Lector lib. 2. c. 23. eique attribuit Sacrorum Vaſorum cuſtodiam. Id Officium apud Græcoſ Preſbyteris committebatur, Hiſ actines erant *Sacellarii*, ſive *Æditui Capellæ Pontificiæ* fuerint, ſive potius *Sacellarii* à cuſtodientiſ Sacriſ dicti, quod eſſent Theſauri Epiſcopaliſ Cuſtodes: quorum meminit Joannes Diaconus in vita S. Gregorii, & Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Conſtantini Papæ erantque Clerici in minoribus conſtituti. Item ab hiſ poſterioribus valde diverſi Cuſtodes Sacrorum, aut *Sacrarvii*, Diaconi nimirum probi, & ætate provecti, de quibus Iſidoruſ de Eccl. Off. lib. 2. c. 9. *Cuſtodes Sacrorum Levitæ ſunt. Iſtis enim juſtum eſt cuſtodire Tabernaculum, & omnia Vaſa Templi; quique ab Anno 50. eliguntur, &c. ne fidem deſerant.* Qui & alibi agit de Theſaurariis, quorum Officia longe diverſa erant ab enumeratiſ: ejus locus reverſus diſt. 25. c. 1. ſequenti

tenore: *Ad Theſaurarium pertinet Baſilicarum ordinatio, incenſi præparatio, cura Chriſtianiſ conſciendi, cura Baſtiſterii ordinandi, præparatio luminarium in Sacratio, & in Sacrificiis. A Canonistiſ Theſaurarius cum Sacriſta confunditur.*

8. Ad Custodem, qui erat Miniſter Sacriſtæ, aut, ut vulgo loquimur, Subſacriſta, vi Cap. 1. ex Ordine Romano, & 2. ex Concil. Tolet. h. T. deſumpti, pertinet custodia uſenſium Eccleſiæ, dare ſignum pro Diviniſ Officiis, lampadam curam habere, panem & vinum, & alia ad Sacrum Miniſterium neceſſaria parare.

Talium Custodum ſape meminit S. Gregorius M. ſub nomine *Manſionarium*, ut lib. 1. dial. c. 5. item lib. 3. c. 34. & 25. quibus incumbebat januas Eccleſiæ claudere, & aperire, lampades accendere, & extinguer. Hi Manſionarii in Concilio Chalced. dicti ſunt *Paramonarii*, itemque *Æditui*, & jugiter in Eccleſia perfeverabant: de Eccleſia Græca id ad minus certum eſt ex S. Hieronymo in Epitaphio Nepotiani. Scriptor vitæ S. Joannis Eleemoſynarii c. 13. narrat, eum miſiſſe 20. Hebdomadarios, qui Clericum inquirerent, cum quo in gratiam redire decreverat, qui Hebdomadarii videntur fuiſſe Laici, viſtoribus Miniſteriiſ in Eccleſia operam navantes.

9. Deſenſorum officia ex Concilii Chalced. Act. 1. c. 23. & Milevitani c. 16. fuerunt, agere Cauſas Eccleſiæ, & pauperum.

Primitus id muneris exercebant etiam minores Clerici, ex Epiphano hæreſi 72. poſt Sæculum vero IV. Presbyteri: unde in Concilio Chalcedoneſi Act. II. habetur: *Presbyter, & Deſenſor Joannes.* In Eccleſia Latina Sæculo V. Laici hanc provinciam obiverunt, ab Imperatoribus poſtulati, & ab Episcopis delegati, teſte c. 42. & 69. Cod. Africani; facti autem ſunt ad formam Deſenſorum Civitatum, quorum frequens mentio in Codice oc-

currit; atque ut Episcopi, Clericive illa tempeſtate litium forenſium inſignes oſores, ab earum ſtrepitu liberi, quietius Deo vacarent. At poſterioribus Sæculis certum eſt, in utraque Eccleſia Clericos id muneris in ſe ſuſcepſiſſe. Eos ad Sæculi V. ſinem Gelafius Papa minoribus Clericis cepit accendere: *Continuo Lector, vel Notarius, aut certe Deſenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolythus*, verba ſunt Pontificis. Sæculis ſequentibus in Eccleſia Latina ex Subdiaconorum, & ſubinde ex Presbyterorum Collegio adoptati ſunt Deſenſores, erantque veri Beneficarii, atque Patrimonium Petri, aliaque majoris momenti negotia iſtis committebantur, communicatis iſdem Privilegiis Notariorum, & Subdiaconorum: S. Greg. lib. 1. ep. 42. lib. 2. ep. 21. lib. 4. ep. 4. lib. 7. ep. 17. Sub Carolo M. Deſenſores quandoque poſtliminiſ ex Laicis aſſumebantur. Vide Thomaff. p. 1. lib. 2. cap. 99.

10. Vice-Dominus, & Major-Dominus dicebatur iſ, cui delegata fuit cura Episcopalis Ædis, ut in domeſticos omnes invigilaret, hoſpitesque exciperet.

Id conſtat ex lib. 9. ep. 66. Gregorii M. in qua Anthemio Subdiacono Campaniæ mandat, ut Paſchaſium Episcopum cogeret eligere ſibi Vice-Dominum, & Majorem-Dominum: ubi etiam ſignificatur, duo quidem diverſa ea fuiſſe Officia, ſed conjunctiſſima, eoque ſine inſtituta, ne Episcopi ob curam domus ab Episcopaliſ functionibus impedièrentur. Qui proin prohibiti fuerunt obire munus Vice-Dominorum, & Majorum-Dominus apud Patriarchas vel Papam, quamvis contrarium ſemel ac iterum contigerit; ſed illo Clerici, & plerumque Presbyteri functi ſunt, & temporibus Caroli M. ſubinde Laici, ſub quo ampliora etiam habuiſſe Officia leguntur: quæ vide apud Hincmarum Tom. 2. pag. 317. & 706.

11. Syncelli vocabantur, qui in eadem cum Episcopis Cellula commorabantur,

tur, & vitæ privatæ eorundem, actionumque omnium teſtes erant.

Tales erant, quos Iſchyron Diaconus in Chalced. Concilio Act. 3. proferebat teſtes criminum, quæ Dioſcoco Alexandrino Episcopo impingebat: *Per nominatos à me teſtes*, verba ſunt ejus, *Syncellos ejus conſtitutos, qui haſtenus cum ipſo degunt, & comitantur.* Legitur apud Ennodium præceptum regium, quo jubentur Episcopi, Presbyteri, Diaconique, ut Clericum Syncellum habeant. Idem confirmant Concilia Hiſpaniæ Gerundinense Canone 6. & 7. Tolet. IV. Can. 22. 23. & 24. item Gallia Turonenſe II. Can. 12. & 13. erant autem in Occidente plerumque Clerici, in Oriente, poſt Sæculum præcipue VIII. plerumque Monachi. Papa, & Episcopi Latini plures habebant Syncellos, ſimiliter & Patriarchæ, atque Episcopi Orientales; Græcorum tamen Syncellorum florentior fuit majorque poteſtas, quam Latinorum: hos inter eminentior *Proto-Syncellus* audiit, qui & conſiliorum omnium conſcius, & poteſtatis adminiſter tantum fuit; imo plerumque poſt mortem Episcopi, ejus in Throno Succellor, quod exemplis confirmat Thomaffinus l. cit. cap. 100. N. 9. Cum vero hæc Syncellorum in locum Episcoporum ſucceſſio poſt Sæculum VIII. fieret frequentior, Principes, Episcopi, quin & Archiepiscopi ſe majorum Syncellatum prehendere ceperunt, ut probat Thomaff. l. c. cap. 101. N. 8. unde & ipſo teſte factum eſt, ut Syncelli ſupercilium extollerent, & locum ſuper Episcopos prætenderent; quin gratia Imperatorum Græcorum eo eveſti ſunt, ut Proto-Syncellus eſſet Miniſter Imperii. Plura de Syncellis ad noſtra fere tempora, præſertim à S. Carolo Borromæo adhibitis, lege, ſi placet, apud Thomaff. loc. c. cap. 102.

12. Notariorum ex etymologia nominis prioribus Eccleſiæ Sæculis ordinaria functio fuit, Acta tum Pontificum, tum Eccleſiarum notare, ſeu conſcribere.

A Notariis Eccleſiæ, ſicut certis, excipiuntur, quæ dicimus, Eccleſiaſtica geſta conſcriimus, inquit Auguſtinus ep. 110. Hinc pueri cum officio Lectorum munus etiam Notariorum obibant illa tempeſtate, teſte Evodio ep. 258. apud Aug. atque per illud ad ulteriora, & graviora negotia apti reddebantur; non tamen meri, cum à Sæculo V. & ſeqq. eas functiones legamus demandatas Notariis, quæ humeros viriles exigebant; Prefides vero Conciliorum, & Legatos eos ſub Leone M. ep. 10. 15. & 23. legimus: & Aetius Archidiaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitaniæ in Concilio Chalcedoneſi *Primicerius Notariorum* dicitur. Mediis quoque Sæculis componendis publicis negotiis, itemque privatis Notarii à S. Gregorio M. adhibiti ſunt. In Oriente erant plerumque Diaconi, in Occidente minores Clerici: eorum Collegio Præfectus Primicerius Notariorum vocabatur. Sub Carolo M. & prius, Imperatoribus, & Principibus à ſecretis erant, ut probat Thomaff. l. c. cap. 105. qui mos ulque ad Sæculum XV. & XVI. perduravit, quemadmodum product illorum Sæculorum chartæ apud eundem loc. c. cap. 106. & in Concilio Conſtant. ſtatim quatuor Protonotarii Clerici creati ſunt ad Acta Concilii ſcriptis mandanda, Seſſ. 1. iſſque Sæculis plures legimus Authoritate Apoſtolica, Imperiali, & Archiepiscopali ſubſcriptos Notarios. De eorum charactere moderno conſulendi ſunt obvi Canonistiſ.

13. Chartulariorum officium, & dignitas ad Notarios proxime accedit, ſicut & illa Cancellariorum.

Quantum ad Chartularios, id patet; quia pariter leguntur ad componenda negotia Eccleſiaſtica, & mandatorum Papalium executionem à Gregorio M. miſiſi, apud eundem lib. 2. ep. 33.

Quantum ad Cancellarium, ejus nomen, teſte Caſiodoro, à Cancellis, intra quos ſe continebat, ut vel audiret, vel introduceret eos, qui audiri ſe à Magiſtratu



gistratu cupiebant, ortum trahit. Saeculo VII. necdum Cancellarii locus erat inter Ministros Ecclesiae Latinae; scripsit siquidem Gregorius M. ad Venantium Italiae Cancellarium, ut in Claustrum, quo abierat, regrederetur. Ex historicis, & legibus constare ait Thomassinus l. c. 104. N. 15. Notarios primum hos fuisse, vel Secretarios, quibus lapsu temporis majora in dies commendata sunt negotia; & hinc illis tanta splendoris, & auctoritatis accessio. In hujusmodi officia intricare se Clerici non ceperunt, nisi circa tempora Caroli M. quando illis ea interdixit Concilium Cabilonense A. 813. Presbyteros, inquit, Cancellarios publicos esse decrevimus inhibendum. Interea tamen illud simplices Clerici obierunt, quamvis ceteroquin officium laicum esset. Sub Imperio Caroli M. quo augescere cepit Cancelliariorum dignitas, eorum erat asservere Principum scriinia, leges, praecipua; item statuta placitorum, & Comitiorum Regni horum exscripta Archiepiscopis, & Comitibus subministrare, à quibus ea cum Episcopis, & Abbatibus, & Comitibus communicabantur: denique Principem admonere, qui Episcopi, qui Comites apographa haec Capitularium Regionum acceperunt; uti constat ex Capitulari Ludovici Pii A. 821. cap. 24. quod Capitulum de *Archicancellario* loquitur, qui tunc ex Clericis semper deligebatur, ut liquet ex subscriptionibus apud Thomass. l. c. c. 105. cui subordinati erant Cancellarii, vel Notarii, qui vices ejus in absentia supplebant. Saeculis sequentibus Romana Ecclesia, Summiue Principes suorum Regionum habuerunt Cancellarios, amplissima potestate praeditos, quae de facto superites est; tunc temporis vero ad eam ex Clericali Milicia assumbantur. Vide Thomass. l. cit. c. 106.

14. Chartophylax, qui interpretatur Chartarum Custos, in Ecclesia Graeca honore, & amplitudine Notarios, & Cancellarios praecessit.

Id patet ex Actione 8. Synodi Chalcedonensis, in qua haec ejus praecedentia haec exprimitur: *Quidam ex Secretario Sanctissimi Patriarchae Constantinopolitani, id est, Gregorius Diaconus, & Chartophylax, Anastasius Diaconus, & Notarius, & Defensor Navium, Stephanus Diaconus, & Cancellarius.* Praeterea Chartophylax ibidem primus post Episcopos subscribitur. Ex eodem Concilio Act. 12. 13. & 14. eruitur, eum fuisse Archivum, & Bibliothecae Constantinopol. Praefectum, quam spartam nullatenus exornarunt in Ecclesia Latina Chartularii, sed Bibliothecarii, teste Thomass. l. cit. c. 105. N. 12. Insuper plures ibi numerantur Diaconi sub Chartophylace Collegii sui Principe. Saeculo IX. principem fere locum inter Dignitates Ecclesiae Constantinopolitanae tenuit Chartophylax. Ejus iura, teste Anastasio Bibliothecario in annotatione quadam ad VIII. Synodi Actionem 2. eadem fere ibi fuerunt, quae Bibliothecarii in Ecclesia Romana. Diaconus fere fuit Chartophylax; at Sacerdotii partes, quae Ordinem Presbyteralem non desiderarent, omnes implevit. Ab ipso Episcopi, & quicumque alii ad Patriarcham Constantinopolitanam, & ad Ecclesiasticos Conventus introducebantur; ejus unius manu tradebantur eidem Patriarchae omnes epistola, exceptis iis, quae ab aliis Patriarchis mittebantur (quod fragmen Officii Latini Chartularii ex nominis etymo videtur quoque competitivisse), nemoque Abbatia, vel Dignitate quacumque Sacra, vel Praelatura initiari poterat, nisi ab ipso approbatus, & Patriarchae praesentatus. Et, quod maxime stupendum, cum Diaconus tantum esset, non tantum supra Presbyteros, sed etiam supra Episcopos in Conventibus omnibus, qui extra Sanctuarium, ubi Altare erat, & extra Concilia fierent, sedebat: quam praerogativam consuetudine, Episcoporum negligentia, & desidia inveterascente, atque Alexii Comneni Constitutione comparantur, & mordicus tuiti

tuiti sunt. Jus Orientale to. 1. pag. 144. Post multa vero scandala, haec ex consuetudine orta, illa Canone Synodi Trullanae ita temperata est, ut Chartophylax ante Presbyterum non sedeat, praeterquam si proprii Patriarchae, vel Metropolitanus vicem gerens adit in alia Civitate super aliquo capite. Tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Vices autem Patriarchae tandem fere agebant Chartophylaces Constantinopolitani; cum, teste Balsamone, essent eorundem, qua Episcoporum Constantinopolitanorum tum Jurisdictionis contentiosa, tum Penitentiarum Administratores. Pro coronide hic subnecto

Dignitates Ecclesiae Graecae Schismaticae, quemadmodum leguntur subscriptae in Synodo de A. 1642. ab illa habita, in qua Calviniana Heresis est proscripita, quam Pseudopatriarcha Constantinopolitanus Cyrillus disseminaverat. Sic autem ordine sequuntur: Praedicator Evangelii. Magnus Archimandrita Magnae Ecclesiae. Magnus Protosynellus Magnae Ecclesiae. Magnus Logotheta. Magnus Oeconomus. Magnus Ecclesiarcha. Nomophylax. Minor Scellarius. Protonotarius Magnus. Primicerius. Dicaphylax. Magnus Interpres. Logotheta. A Commentarius. Protapostolarius. Notarius. Apud Colet. To. 21. Con. col. 1638.

## TITULUS XXVIII.

### De Officio Vicarii.

1. **N**aturae humanae imbecillitas fontalis origo est Vicariorum. Cum enim homo nec ubique esse, nec omnia per se ipsum negotia ob eorum frequentem multitudinem expedire valeat, naturaliter consecutus est, ut negotiis humanis sive spiritualibus, sive temporalibus praepositi, eorum molem in plures dividerent, ut ita & illi in portandis oneribus sublevarentur, & negotia commissa haec oeconomia accuratius expeditur. Et ita factum legitur non tantum in veteri, sed etiam in novo Testamento; in veteri siquidem Moyses ad suasionem Jethro, haec duplici ratione fulsitam, Vicarios sui elegit, qui pondus immensum gubernationis Populi duri cervicis una administrarent, Genesis 18. In novo vero ipse Salvator in sublevamen Apostolorum, ob multitudinem melsis, & paucitatem Operariorum, designavit septuaginta duos, quibus munus Apostolicum delegavit, Lucae 10. Nec aliam ob causam in primitiva Ecclesia Episcopi vices suas Archidiaconibus, & Archipresbyteris commiserunt, quemadmodum vi-

dimus Titulus 23. & 24. hujus libri. Hoc in Titulo notas historicas dabimus de Vicariis perpetuis Ecclesiarum, Cathedralibus, Collegiatis, vel aliis Ecclesiis; Monasteriis item, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque incorporatarum; atque de ipsis Episcoporum Vicariis Generalibus, qui in locum Archidiaconorum successerunt, ut laudato Titulo 23. hujus libri vidimus.

2. Quamvis juxta Tridentinam Synodum Sess. 24. c. 12. de Res. omnes Canonici Divina per se, & non per substitutum obire debeant Officia: iuste tamen, & ante illud Concilium instituti sunt, & post illud adhuc servantur illorum in Choro Vicarii.

Cum enim non tantum ad Divini Officii perfectionem, sed etiam ad Hierarchicas functiones pro Ecclesia necessitate, & utilitate Canonici obligentur; non difficile intelligi potest, eos à Divini Officii personali perfectione nonnunquam avocari, quorum absentiam proia laudabiliter à dictis Vicariis supple-